

## REG. II.

Si nota superior fuerit minor, punctum inferiori sinistro (quadruplum dextri semper valenti) adjicias, quasi transfumtus unum inde quaternionem, à quo fiat majoris notæ tuæ subtractio, relinquaturque superior tuus integer, unà cum residuo mutuatitii quaternionis simul, subscribendus.

## Nota I.

Ab inferiore vicino transfumtus unus quaternio facit, ut idem augeatur unitate, nam cum is, tanquam socius creditor, aliàs suum tantum petiisset à superiore communi debitore, jam, præter suam sortem, etiam unum quod expendit, ut socio satisfaceret, atque sic unum plus, ab illo debitore communi repetit. Quo quidem eodem jure creditores decimales utuntur.

## Nota II.

Cum ad tres tantum distantias in transfumendis unis quaternionibus attendere necessum sit, facilè pro compendio specialissimo notabitur regula: *Si nota superior unitate minor sit inferiore, (nempe si tribus casibus 3. à 2. vel 2. ab 1. vel 1. à 0. subtrahenda sint) semper relinquitur 3. Sin binario, nempe duobus casibus si 3. ab 1. vel 2. à 0) relinquitur ipse binarius: Sin ternario (nempe uno casu, si 3. à 0.) relinquitur unitas: transcripto semper puncto, quod postea vicinum Creditorem unitate sistit auctiorem.*

*Ergo Subtractio tetractyca perficitur nudâ residuarum unitatum connumeratione, Q. E. D.*

Mul-